Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26208
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et illi patres in .iiii. uirtutibus rutilantes. trinitatem ado
rasse noscuntur. Antiphona uero modulationis. prefert deuotio-
nem illorum laudationis. Tertia hora huius uigilie. ABRA
HAM usque ad MOYSEN fuerat. in qua ABRAHAM.
YSAAC. et IACOB et IOSEPH. uices uigilandi custo
diebant. quod instantes psalmi proclamant. Saluum
me fac domine ABRAHAM exprimit. quando sanctus defecit.
cum uidelicet ipse pene solus dominum coluit. et totus mun
dus idolatrie deditus fuit. Usque quo domine o. ysaac innu
it. cui dominus bona tribuit. dum xpi figuram in omnibus
protulit. Dixit insipiens. Iacob ostendit. quem insi
piens IABAN sicut escam panis deuorauit. dum eum sepius
defraudauit. Sed quia dominus spes eius fuit. malum ab eo auertit.
unde exultauit IACOB. et letatus est israel. Domine quis ha
bitabit IOSEPH demonstrat. qui sine macula est ingressus
dum stuprum recusabat. et operatus est iusticiam dum populum a pericu
lo famis liberabat. Hii quatuor sub una gloria p. clauduntur.
quia hii uigiles in .iiii. uirtutibus splendentes. trinitatem
coluisse leguntur. Antiphona melodie. est laus ab eis exhibi
ta maiestati diuine. Sunt etiam iste antiphone. quedam
uigilum cantilene. Versus qui sequitur. auertendo dicitur. ideo
quia se chorus uertit ad orientem. et quia se uertit de psal
mis ad lectionem. Per orationem dominicam que secreto dicitur.
secretum consilium regis intelligitur. Post lectionem nostrorum sacerdos
uersum aperte dicit. quasi rex mandatum legatis inuenit.

Abraham

Ysaac.

Iacob.

Ioseph.